Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono,

(1691) Liez 1391

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis vigeſimo primo Februarii.

M. BERTINO DIEUXIVOYE, Cenſore Doctore Medico, Præſide.

An demoliendæ difficili Enterocele Emeticum ?

QUANTA neceſſitate humores excrementitii in hominibus ſuccreſcunt, tantâ nec impari iidem ſedulò ſeparantur à naturâ, ſed præſertim διαχρήματα, quibus colligendis etiamnumque detrudendis organa, conſilio dicam ne an artificio majori, concinnata ſunt. Dum enim in iis præter viarum longiores anfractus, tam varii generis ſubſtantia, atque compoſitio, nec non fibrarum ſitus, ordoque ſingularis ſuſpiciuntur, quædam inſuper facultas excretrix potiſſimùm elucet, quâ poſita vim attractricem in primis, atque adeò facultatum animæ notitiam ſuo jam uſu, ac vetuſtate conſecrata ut eſt, æternùm manſuram eſſe eò certius, quò magis illa naturam ducem obſervat, ac vitæ neceſſitate quâdam nititur, & conſtat. Scilicet ille tanquam cauſarius malè audit, morborumque viciſſitudines præcæteris experitur, quiſquis excrementorum retentioni obnoxius eſt, quoniam cùm contrarii rationem habeant, ea præterquam-quòd ſenſim calorem nativum peſſundant; ſuâ etiam immoderatione fatum ſæpe ſæpius accelerant. Hæc igitur excernendi vis, penes quam defendendæ corporis œconomiæ cura primùm excubat, Animæ, quæ præeſt, labore & operâ nuſquam defuiſſe viſa eſt, niſi cum impedita. Concocti enim in imo ventriculo, ac ibidem cùm tracti, tum retenti cibi, potuſque reſidua confeſtim amandat, ad id viciſſim ſeſe ſupernè deorſum aſtringentibus inteſtinorum fibris, donec continuatâ ſerie circumagendo, quidquid redundat & nocet expreſſum nobiles particulæ dejecerint. Quod ni faciant, imo aſtricto nimioperè ductu præpoſterè moveri cogantur, jam eæ, ne ſuo ſecernendi proprio muneri deſint, ἄνω εἴλησιν continuò pariant, in quâ remeantes, unde venerant, alimentorum reliquiæ, tandem ore fœdato rejectæ triſtia paſſim portendant.

NIMIA ſiccitate hærent in inteſtinis & impinguntur excrementa, quæ identidem adnato intùs tuberculo, ſubortâ phlegmone, vel compoſito ſenſim humorum quorumvis acervo retineri ſolent. Conditio pejor, ſi pars ſibimet impedimento ſit, lapſuque ſuo laborioſam Enterocelem affert. Ea quippe hernia etiam & bubonocele dicta, uniuſmodi ſe non habet, quippe quæ gemina eſſe queat, mollior atque tolerabilis una, ſed pene popularis, quæ notabili inteſtinorum mole nunc ad relaxatos, & ſenſim ab interiori; aliàs autem vi exterius factâ diſciſſos umbilici, inguinis, vel ſcroti proceſſus in viris aut mulieribus aſſurgit; quos quidem ubi nec intempeſtivo ſitu, jugive illorum niſu laceſſi, nec humiditate præter naturam dilatari, nec ſubligaculi, diuturnâ compreſſione vacare ſiveris, eos indigeno glutine coaleſcentes morborum Medicatrix Natura ſe ſolâ aliquando connectat: altera verò præceps eſt & periculoſa, quæ improviſa, ſubitòque fieri ſolet, quoties conſtricto inteſtino ecce tibi moleſtus difficiliſque tumor contingit. Cum enim pro ratione muneris inteſtina per abdomen circumvoluta feruntur, quorum ſinuoſo tramite, longiorique ductu tardant fœces, ut ſocietatis officio, cui natus eſt homo fungeretur, illa ſæpe ſæpiùs nunc ſolitaria, nunc cum omento deorſum ruere videas, hàc ſubire parata, quâ declivis, exteriorque peritonœi productio inſidentis partis pondere dehiſcens, vel quomodocumque ſoluta malè potiſſimum cohæret; nec tamen tam facili aditu, quin mox violatam annuli cuſtodiam multo dolore redimat miſerabilis æger, cujus cruciatum convolutus in ſe abundè teſtatur, acutam, ſi poteſt, ſenſationem tali figurâ ſedulò compreſſurus.

FALLITUR qui Stibium veteribus minimè notum exiſtimat, cujus tamen ſi quis apud eos ſolennis uſus, is præcipuè externus fuit. Tetragonum ſive figuræ medicamenti nomen, ſive errhinum dicatur, non liquet an Stibium, idemque catharticum fuerit, quomodocunque paratum, quale circiter tantopere decantatum hæc ætas veneni ſuſpicione magnificè liberavit, quam jure vel injuriâ alii quondam attulerant. Sed arguto quantumvis labore qualiſcumque virtus Antimonii emendata ſit; ea quoniam nuſquam non energetica, adeo ſtrenuè movet, ut in adminiſtrando præſidio modum non immeritò ſervandum is velit, qui quidem expurgandi humoris morbifici occaſionem vix ab orgaſmo, nec unquam incipientibus ſtatim morbis, ne præcipitanter, dignumque ſacro piaculari quid fiat; perſæpe aut ſemper à pleniſmo, vel corporum humorumque ἔυεξια cunctanter & meliùs deſumit; etiamſi Emeticum in iſchiade, rheumatiſmo arthritico cum febre, vel amoliendæ gravis Enterocelis cauſâ propinandum tibi ſit. Præſtat enim quod in difficili partu venit in uſum, molliori fotu affectis partibus primò blandiri, atque ne tumentibus impensè locis viæ magis coarctentur, humorum, qui illabuntur & æſtuant, impedimenta aliorsùm avocare, cum verò ſic proſpexeris, Antimonium ceu reſtituendæ partis præcipuum organum delibare. Num enim in his ſatius eſt conſiſtere, cruentamque ἐγχείρησιν poſt habere, quæ ſuis circumſtantiis, hoc eſt nativis conditionibus defecta, tunc perquirenda eſt, ubi deſperatis illa velut unica, atque ſuprema naufragii tabula duntaxat ſupereſſe poteſt.

IN demoliendâ Enterocele Medentis conſilium eò dirigitur, ut è peritonœo præceps inteſtinum, quâ ſecuritate fieri poteſt, ſed quam ocyùs ad ſe redire procures. Agendorum initium, ſitus præſertim inteſtini, aſtricti ejuſdem natura, conſtrictioniſque magnitudo declarant, quam conſentientibus in unum ventriculo, & inteſtinis acutus inguinis dolor, diſperſuſque per imum ventrem torminum intolerabilis ſenſus, anxietas, ructus, nauſea vomitionis προήγεμοι primùm excipiunt. Hæc juxta; ut impari contrarietate tot ſymptomatum acerba ſylloge radicitùs auferatur, vehementi ac Emeticâ medicamenti virtute ad rem dubiò procul opus eſt, maximè cùm in ejuſmodi affectibus, è diſtantiſſimis partibus in contrarium revellere debeas. Id muneris implet ex Stibio μοχλεία, quod quidem imbellis leviorque non tantùm, ſed etiam quæ alteri addicta eſt regioni paulò validior movendi ratio, infectum relinqueret. Atque in eo privata Artificis induſtria eminet, ut quoniam delendus, vel quaſi ſolo æquandus eſt inguinis, ſcrotive tumor, illa quæcunque virtus agitat molem, excitato vomitu, qui commodo vertitur, nec eſt ſymptoma, ſed opus naturæ, ab obſtructione partem vindicet, eamque ſimul & ſemel liberatam anguſtiis, quibus premitur, in ſedem ſuam reſtituat; ſed ex quâ ne migret ampliùs, cave putes ſubligaculi præſidium tibi impoſterum oneri potiùs, quàm utilitati cuidam affuturum.

MIRUM quot tralatitiis appellationibus variet, quàm multis inquam nominibus inſignita ſit Enterocele: an non, quod in Epilepſiâ videre eſt, argumento nuſquam ſatis ſignificatæ magnitudinis morbi, qui quidem πρὸ ἀλγημάτων γηρομένων moleſto ſenſu Ileus, Miſerere mei, Volvulus; aut loci, ceu chordæ contenſi acri torſione Chordapſus, Tormentumque dictus, numquam non peracutus, ac etiam animi deſponſione, quam affert, periculi plenus eſt, & operosè curatur. Dum enim dolorem hauritæger, & urget opem; inſuper ut agas, inſtat hoſtilis metus νεκρώσεως, quæ communi, eodemque vinculo admodum coactis unâ cum inteſtino venis & arteriis afflictæ parti impendet, niſi exhibito Emetico ventriculus vomitu tempeſtivè incitatus omen avertat. Is enim licet aliquandò ſibi ſit remedio, aut tanquam clavo trudendo clavus, ſi ſingultienti jamque vomitanti Illioſo, nec dum conſtanti virium robore, vel nondum anteversâ phlogoſi ſtomachum cies, tunc certè cane pejus & angue fuerit Emeticum, quod contrà poſt ſuſceptam iterum ac ſæpius tum venæ ſectionem, tum inteſtini reſtitutionem, quanquam fruſtrà, ſed nondum acciſis viribus oggeſtum, id ſanè medicamentum jure dixeris Deorum manus. Scilicet epotum ſubit, ſicque Stibii qualitas multum quidem efficacitatis habens, ſed amica, in intimos ductus quam primùm influens ventriculum miſcet, dum ampliùs explicata fundum ejus ad os ita commodùm effert, ut reſupinatâ identidem nobilioris organi ecphyſi totâ, ſurſumque viciſſim ad ſeſe contendentibus aliis inteſtinis, devinctam quamcunque eorum partem Ileum, aut Cæcum brevibus circumtenſi involucri faucibus evocet, ſuo quidem ordini, eò citiùs aſſerendum, quò magis utcunque delinitis viarum difficultatibus, attractæ jam mutuâ ſucceſſione partes in locum naturalem ſe ipſis inclinant. Cum enim unâ, continuâque ſubſtantiâ donentur, ea ſe tanquam in choro conſequutione quâdam invicem ducere nata ſunt, aut ſanè ſic comparata, ut quod in molitione organicâ amat fieri; quemadmodùm mota ad nutum prioris corpora ſequi videas, ſic etiam illa vi ſibi communicatâ pariter ducantur, ac è violentâ ſede revellantur in eam, quæ à natura eſt; operam ad id navante Medico, qui opportunitatem nactus, nodum ſolvere novit, quem ſatius viſum eſt non reſcidiſſe.

Igitur demoliendæ difficili Entereocele Emeticum.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Guerin.
M. Paulus Mattot.
M. Carolus le Long.
M. Ludovicus Morin.
M. Petrus Lombard.
M. Philippus Maihon.
M. Abrahamus Thevart.
M. Nicolaus Lienard.
M. Philippus Douté.

Proponebat Pariſiis NICOLAUS BRUNEL de la Carliere, Lexovienſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1686.